Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26300
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uiderunt miranda supplicia. Vlcera post hec et uesice cum fer
uoribus inserto ubere producunt. In ulceribus arguitur dolosa huius seculi
et purulenta malicia inuesicis tumens. et inflata superbia. in fer
uoribus ira ac furoris insania. Huc usque enim talia per terrę suę
figuras. mundo supplicia temperantur. Post hec uero ubera ueniunt
de supernis. uoces scilicet tonitrua et grando. et ignis discurrens.
In tonitruis enim increpationes. ac diuine correptiones intelligun
guntur. quia non cum silentio uerberat. sed dat uoces. Sed et doctrinam ce
litus mittit. per quam possit culpam suam castigatus agnoscere mundus.
Dat et grandinem. per quam tenera uastentur nascentia uitiorum. Dat et ignem.
sciens esse spinas et tribulos. quos debeat ignis ille depasci. de quo dicit dominus.
Ignem ueni mittere in terram. Per hunc enim incentiua uoluptatis. et libi
dinis consummuntur. Quod autem locustarum octauo in loco fit mentio. putatur
a quibusdam per hoc genus plagę dissidentis a se et discordantis huma
ni generis inconstantia confutari. Alio quoque sensu locustę pro mo
bilitate leuitatis accipiende sunt. tamquam uagę et salientes animę
in seculi uoluptates. Nona plaga tenebre facte sunt. siue ut mentis eorum
cecitas arguatur. siue ut intelligant diuinę dispensationis et proui
dentię obscurissimas esse rationes. Posuit enim deus latibulum suum.
Quas illi audacter et temere perscrutari cupientes. et alia ex aliis asseren
tes. in crassas et palpabiles ignorantię tenebras deuoluti sunt. Adulti
mum delentur primogenita egyptiorum. siue principatus et potestates et
mundi rectores tenebrarum harum. siue auctores et inuentores falsarum
quę in hoc fuerunt mundo religionum. quas Christi ueritas cum suis catenat.
et delet auctoribus. Porro quod sequitur in diis eorum fecit iudicium. illud
hebrei autumant. quod in nocte qua egressus est populus. omnia in egypto
templa destructa sunt. siue motu terrę. siue tactu fulminum. Spiri
taliter autem dicimus. quod egredientibus nobis ex egypto. errorum ydola corru
ant et omnis peruersorum dogmatum cultura quatitur. CAP. XV.

INTEREA fit pascha in occisione agni. occiditur Christus. de quo
in euangelio dicitur. Ecce agnus dei. ecce qui tollit peccata mundi.